

communiter et continue stringebant umbilicum, ventrem et
 viscera sua fasciis et pannis latis atque fortissimis legaturis,
 et in hanc modum constricti inter homines continue incede-
 bant. Scilicet autem misericordia largiente nulli vel paucissimi
 ex tali infirmitate mortem incurrerunt, sed communiter intra
 8 vel 15 dierum spatium ad mentem et sanitatem pristinam
 redierunt. Et quia in rebus humanis falsa cum veris sepius
 intermiscent, tali durante commotione plurimi dictam passi-
 onem simulantes, nonnulli propter questum elemosinarum,
 que taliter laborantibus per fideles christi pia ^{ad} devotione largi-
 bantur, aliquando ex levitate animi, alii vero ad lascivien-
 dum cum mulierculis et mulieribus iuvenulis eo tempore
 per locorum abdita et nocturnas latebras impudice discurren-
 tibus, dictis patientibus se sociaverunt, ut cum eisdem hoc
 modo evagantes frequenter diebus festis in locis publicis, ubi
 maior populi consuevit convenire multitudo, presertim in
 ecclesiis ^{eo tempore,} quando agitur divinum officium, tripudia et ritus
 sue inquietudinis ostentantes ipsam instigante dyabolo divi-
 num officium insolenter nimium perturbabant. Sed et
 hanc temporis perniciem et populum fecerant frequenter
 ceteris et processiones ad ecclesias et sanctorum reliquias
 ad placendum in tali periculi articulo iram dei. In tanta
 namque multitudine brevi in tempore excrevit ^{hoc} pestilens.